Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36814
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Et intrauit israhel in egyptum. & iacob accola fuit in terra cham.

Et auxit populum suum uehementer. & firmauit eum super inimicos eius.

Conuertit cor eorum ut odirent populum eius. et dolum facerent in seruos eius.

Misit moysen seruum suum. aaron quem elegit ipsum.

Posuit in eis uerba signorum suorum. & prodigiorum in terra cham.

Misit tenebras & obscurauit. & non exacerbauit sermones suos.

Conuertit aquas eorum in sanguinem. & occidit pisces eorum.

Edidit terra eorum ranas. in penetrabilibus regum ipsorum.

Iubente pharaone cognatio ioseph ad terras aegypti deducta est. ipsa est et iacob. diuersitate nominum dicta. suae reuelationis uariauit. Chanaan uero fuit filius cham. nepus noe. ex quo aegyptii traxerunt originem.

Istos ad pharaonem quasi quosdam testes constat a domino testinatos. ut populum sibi placitum. ab ira permisisset inlesum.

Leguntur tenebras inter plagas pertulisse. sed potius intellegamus corda eorum fuisse obscurata. qui domini preceptu condempnebant. exacerbauerunt sermones. significat acerue acceperunt. aut certe iniuriosis abominationibus respuerunt.

Inrunis. poetarum carmina designantur. quia catholica regula. discrepantes corda terrenorum regum fabulis replent deceptionum.

Auxit populum suum foecunditate nascendi. confirmauit. quando illis crescentibus. aegyptiorum turba uehementer afflicta est.

Conuertit dominus aegyptiorum cor. ad odium contra populum israheliticum prestando illis felitia. et dolum facerent. consequenter erat ut post conceptum odium seuiens populus addolosas machinas perueniret ut fuit inlateribus.

Signa sunt quasi aliqua uestigia futurarum rerum. Prodigia. pertinent admirabiles euentus. prodigium enim dictum est. abeo quod porro dicat.

Conuertit enim aquas in sanguinem. quoniam erant interfluentia maris rubri perituri. Pisces occisi sunt. nespes uiuendi hominibus relicta uiueretur.